

PATRI MEO DILECTISSIMO,

D. V. C.

TENTAMEN MEDICUM

D E

PHTHISI PULMONARI,

QUOD Deo duce, & auspice Dei - Pará, in
Augustissimo Ludovico Medico Monspeliensi,
tueri conabitur

A U C T O R,

HYACINTHUS - JOSEPHUS SYLVA, è Fluvio
Januariensi, Diæcesi Brasiliensi, apud Lusita-
nos, Liberalium Artium Magister, & jamdudum
Medicinæ Alumnus, die 4^a. mensis Augusti,
anno 1777.

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.




M O N S P E L I I,

Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM;
Regis, Occitaniæ Comitiorum, Universitatisque
Typographum Consuetum.

M. DCC. LXXVII.

43.



TENTAMEN MEDICUM DE PHTHISI PULMONARI.

DE Phthisi verba facturus non ordiar statim à definitione morbi, quippè cum varias veluti phases præbeat ille morbus, & in quâlibet periodo coordinatam & propriam phœnomenorum seriem, accuratè includi non potest ejus descriptio in brevi quodam verborum circuitu : aliundè etiam omittendo, ut fit in præsentî casu eas Phthiseos species, quæ sunt veluti alterius morbi symptomata, ut luis venereæ, rachitidis, scorbuti, &c. sunt varietates in Phthisi primigenia, quæ non leves differentias ponunt in diagnosi, & medendi ratione.

Visum est mihi igitur, ut ordini prospiciam, distinguere varia morbi stadia, & enumerare vulgatiore phœnomena, quæ cuilibet Phthiseos speciei, quam confidero, competunt. Imò altius progressus sum præviam dispositionem ad Phthisim leviter attingendo, utpotè quod faciliùs sit imminens malum avertere, quam grassans dimovere : subsequenter symptomata Phthiseos declarata, quæ demùm excipientur ab ultimo Phthiseos gradu, sub quo nomine Phthisim confirmatam, & desperatam comprehendo. Quis enim audeat in multis casibus statuere sagacis curationis limites, aut etiam salubres naturæ conatus ? Descripto sic morbo per phœnomena penitiùs indagabitur per ea, quæ manifestat cadaverum

inspectio: quia autem in vivente alia occurrunt, quæ nullatenus palam facit anatome, subjunxi animadversa quædam œconomiae animalis, ex quibus non-nihil lucis praxi affundi potest: demùm medendi ratio cuilibet periodo, & cuilibet speciei Phthiseos primigeniæ accommodata leviter attingetur: in illâ autem dicendorum copiâ, quædam tantùm adducam, cætera remittens ad præstantiores Medicos, qui de Phthisi scripserunt: sufficiat ibi indigitare pro viribus in quo stet ingenium artis, & quam varia subsidia debeant advocari: faciem autem in hâc indagatione subministrabunt sapientissima mihi ab arte Magistris in Augustissimo Ludoviceo tradita præcepta.

De præviâ ad Phthisim dispositione.

Certis & minimè equivocis signis, ut plurimùm è longinquo se prodit dirus hicce morbus: undè adversus ipsum, se quam citò accingere oportet, non quidem vano, & imbelli terrore, aut tristitia, quia exindè acceleraretur morbi progressus, sed virili & forti animo, prudentique vivendi normâ: prout autem variat ægri constitutio, aut morbi genium, varietates quasdam admittunt signa.

1^o. Juxtâ sedulum observatorem *Bennet* (1), Phthisis impendentis per subfusivam congestionem è capite in pectus, crassi, & frigidi liquoris pituitæ dictæ, signum detegitur. 1^o. Torpore quodam, inertis corporis habitu, capitis gravedine cum tensione periodicâ in plenilunio ingravescente, somno longiore, pulmonis & omnium muscutorum pectoralium flacciditate & ad expulsionem segnitie, quæ per excreationis conatum multoties iteratum cognoscitur, pectoris dolore gravativo, tussî aliquoties per intervalla periculum suffocationis inducenti, quæ inter exercitia & ab assumptis frigidis augetur, anhelitûs frequentia, habitu

(1) *Theat. tabid.* p. 104.

corporis intenerato sub cœlo humidiorē, & indurato sub
 ficciore, dispositione quâdam catharrali, quando scilicet
 æger vel ob levissimam occasionem, imò etiam absque
 ullâ occasione tussi molestatur, &c.

Ejusdem generis Phthisim impendentem arguunt pariter
 suppressio solitarum evacuationum per fontanellas, & ul-
 cera vetera, fluor albus repressus, &c.

2^o. Si autem prorsus opposita temperie donetur quis, si
 sit summè irritabilis, & nerveæ, ut dicunt, constitutionis,
 haud negligenda futuri morbi dant signa: ortus à paren-
 tibus Phthisicis, prava thoracis conformatio, sive à naturâ,
 sive per accidens contingat, respiratio anhelosa si fiat
 vel minimus corporis motus, animi pathemata tristia, ex-
 cessus in re venerâ, aut commensationes, hæmoptoe
 etiam si fuerit accidentalis, calor chronicus, & molestus,
 qui præsertim afficit plantas pedum aut manuum volas,
 angustia, & oppressio pectoris, exercitia vehementiora,
 & protracta, mentis contentio nimia, &c.

3^o. Demùm est alia individualis constitutio, in quâ non
 adest illa pravorum humorum redundantia, ut suprâ, sed
 tamen reperitur eadem inertia, idem torpor virium vitalium
 cum sensibilitate obtusâ, quæ quidem temperies indigita-
 tur ab Illust. *Bennet*, sub nomine frigidioris sanguinis con-
 stitutionis; quæque plerumque arguit habitum corporis non
 prorsus immunem à labe scorbuticâ aut scrophulosâ: huic
 autem impendere Phthisim præsertim à tuberculis non solùm
 declarant quædam symptomata communia cum jam recen-
 sitis, ut ortus à Parentibus Phthisicis, prava conformatio,
 respiratio anhelosa, pectoris oppressio &c. Verum etiam
 matutina & diurna spectatio phlegmatis viscoli, aut etiam
 falsi, diurna & increscens appetitûs prostratio, animi
 dejectio, obstructions glandularum habitus corporis (1),

(1) Illust. Morgagni in *juvene Monacha*, cujus videbat
 collum glandulis inæquale thoracis, incommoda pulmonum

tussis molesta, difficilis excretio, levamen pectoris ad tempus recurrens prout fit secessus humoris pravi in articulos aut corporis circumferentiam, &c.

Signa autem recensita, magis minùsve in fausti ominis erunt, quo plura vel pauciora colligentur. Si autem simul habitus corporis in pejus ruat, signum est jam advenire morbum, nisi citò adhibeantur auxilia, ut videbitur postmodum.

Phthiseos declaratae symptomata.

Symptomata illa, ut concludere pronum est ex jam dictis, sunt in vario gradu, variam habent intensitatem juxtà diversos casus memoratos, sed utcumque se habeant, diversimodè complicata, aut combinata occurrunt in Phthisi declaratâ.

Gravis & profunda pulmonum affectio se prodit statim tussi habituali, quæ distinguitur ab eâ, quam producit simplex catharrus eò quod ab ipso morbi principio per aliquot annos, ut observavit Illust. *Morton* (3), tussis phthifica est arida, cum simplex catharrus, ab initio effluxu humoris crudi sit conspicuus, deindè paucis diebus, vel saltem hebdomadibus terminatur, & in illo spatio observantur variæ periodi sicuti in vulneribus, & aliis morbis; nempe status irritationis, coctionis & evacuationis, quibus transactis sanatus est æger, aut saltè relinquitur tussis identidem recurrens, sine ullâ functionum læsione.

Tussis phthifica connecti solet cum titillatione excitatâ in superiori parte *tracheæ*; nec mirum quippè cum *trachea arteria* in ramulos plurimos per omnes pulmonum lobos progrediatur, molestus sensus, qui in interno pulmonum

tuberculis adscripsit: quod postea illi confirmavit puellæ parens cujus alia filia hoc morbo occubuerat. De morb. thor. ep. xxii. num. 19.

(3) *Phthisiol. p. 35.*

textu excitatur, per quemdam consensum sympathicum communicatur superiori parti *tracheæ*; non ablimili ratione ac cum lapis ureterem imò ipsum renem molestè afficit, dolor refertur in extremitate penis.

Tussis Phthifica initio morbi saltem diurno tempore est mitis, & sine insigni, aut vehementi irritatione, longis etiam & nullo ordine servato intervallis recurrens. Tussis illa noctu & utplurimum post cœnam molesta fit: undè accedunt vigilie pertinaces, quæ febris incremento haud parùm conferunt: gravior indies fit respiratio post motum præsertim, quantumvis levem; vox in variis casibus evadit rauca, clangosa, exilis, frequens: adsunt sitis, inapetentia, à cibo assumpto stomachi gravitas: quinimò post cibum vomitus supervenire solet: adeò ut à pastu æger continuò ferè tussiat, donec cibum tandem vomitione sit rejectus: illa autem vomendi dispositio cum siti conjuncta habetur ab Ill. *Morton* (1), inter certissima Phthiferos signa.

Sputa autem variis donantur qualitatibus, pro individui constitutione morbi natura, periodo magis minus-ve pro-vectâ: modo enim, ut animadvertit *Sydenhamus* (2), sputa sunt crassa alba, modò pellucida cineræa, foetida, falsa, dulcia, &c. Nimis longus essem si indulgerem animadversis peculiaribus circa diversas illas sputorum qualitates: de his consule eximium observatorem *Bennet* (3), quoad distinctionem sputi purulenti omissis mediis, quæ à variis proponuntur, notabo, eam admodum difficilem esse, & non adesse signum univocum, ut illud sputum secernatur à concocto humore pituitoso absque suppuratione.

Febricula vespertino imprimis tempore observatur in Phthisi incipienti, ita-ut cum levi horrore quandoque in-

(1) *Phthisiol.* p. 39.

(2) *Sydenh. op.* p. 532.

(3) *Exercit. dianæticæ.*

cipiat, aliquandò verò absque ullo horrore prægresso, solâ pulsûs celeritate, calore acuto, & rubore genarum se manifestet: ubi autem morbus augetur hecticus calor magis, magisque increscit, & pulsus etiam summè mane fertur citatior, quandòque illa febris veram exacerbationem, & perfectam intermissionem patitur: quàm frequenter verò illa febris adest continuò circa vesperam fere semper auctior, subindè tamen exacerbationes manifestè observantur vario tempore, prout ad ultimum gradum vergit morbus.

Ità autem generaliter intelligi debet illa febris hectica, ut aliquandò observentur ægri, qui hac nullatenus infestantur; nam notat Illust. *Sydenhamus*, quod in eâ Phthisi, quæ tam vulgariter in agro Lancastriensi grassatur, quibusdam etiam per totum morbi decursum febris hecticæ symptoma haud unum appareat: monet idem Auctor, quod rarò aut nunquàm pulmones confodiantur, imò quod è medio tollantur ægri pulmonibus haud ulceratis.

Intabescencia, sive consumptio partium musculosarum, quæ in morbi principio est valdè lenta, & ferè insensibilis incipit à quâdam mollitie, & per gradus adducta colliquatione, quâ sensim, & sine sensu advehitur marasmus prout magis evehitur morbus.

De ultimo Phthiseos stadio.

Minus accuratum videtur distinguere illud stadium per tuberculorum suppurationem, quippè aliquandò supremum diem obeunt ægri, dùm adhuc cruda sunt tubercula, ut videbitur postea, aliquandò etiam serosa quasi colliquatione obcumbunt, illæso pulmonum textu: aliundè non per abditum statum, sed per effectus conspicuos & omnibus obvios determinanda est ultima periodus: quamquàm autem præcisè assignari non possit terminus, quo hæc sejungitur à præcedenti. Attamen ut plurimum novo conspectu, nova, ut ità dicam, phasi obviam se præbet Phthisis, dùm in pejus ruunt ægri res, singulaque ingravescent sympto-

mata : quamlibet autem originem habeat tabes , universalia ferè sunt morbi gravescentis signa , ut asserit Ill. *Bennet* (1).

Febris autem , quam diximus provecto morbo cum exacerbationibus recurrere , & per vices inæquales ægrum conflictare sensim assumit typum febris putridæ , seù oratur ista per co-inquinationem massæ sanguineæ à materiâ purulentâ , seù labefactetur systema nerveum lætis respirationis organis : ex illâ febre autem oriuntur sudores colliquantes , nocturni , & matutini : qui sudores contingunt durante quâdam remissione febris : nam durante algore , & calore , tussis , respirandi difficultas cum gravioribus symptomatibus augentur : in prædictâ remissione æger placidè dormit , vires novas colligit , novasque spes concipit animo , dùm solito circuitu redintegratur paroxysmus.

Animadvertendum est pariter , quod pulsus , qui in morbo non admodum provecto erat parvus , languidus , mollis , & modicè celer , fit ut , notat *Galenus* (2) tenuis , durus , obscurus & frequens ; immò observat calorem , Medico pulsus tangenti , primò apparere lenem , sed si diutius tangendo moretur , tunc acrem & mordacem calorem percipi.

Sudores autem , qui remissioni febris succedunt , hujus sunt generis , ut si quis suppressere eos vellet , vel frigidi aëris admotione , vel surrectione è lecto , nequicquam proficeret : quinimò novo malo originem daret , vel enim secederet materia sudoris in thoracem , in abdomen , in artus inferiores , daretque locum vel hydrothoraci , vel asciti , vel diarrhææ , imò etiam dysenterix quandoque stipatæ horrendis intestinorum spasmis ; aliquandò etiam suâ spontè versus tubam intestinalem deferuntur humores , undè fluxio alvina tandemque lenteria à labefactâ hepatis omniumque partium nutritioni dicatarum œconomia : attamen utplurimum , exceptis Phthificis scorbuticis , diarrhæa non multum

(1) *Theat. tab. p. 106.*

(2) *De febre lib. 2. c. 2.*

antè diem fatalem accedere solet, ulterioremque ruinam mirum in modum promovet, accelerat: diarrhæa aliquandò mitis est, in aliis violenta, & torminibus adjuncta, quàm sive opiatís, sive adstringentibus coërcere velis, non rarò advehes dispnæam suffocantem hydropem, vel alia quævis pericula.

Colliquatio fit etiam nonnunquam per expectorationem præcipuè in declinatione paroxysmi febrilis: eo autem tempore magna copia tum feri crudi, tum concocti immò purulenti, aut puruletodæi excernitur, extusque sese exonerant suâ sarcinâ pulmones: dantur induciæ donec novo paroxismo inducto, novo defluxu colliquescant pulmones; quandòque etiam per superiora viam sibi pandunt humores degeneres, nempe perductus salivales, tonsillas, glandulas in gutture fitas: aliundè aër inspiratus, & in pulmone miasmatis coinquinatus novas ærumnas in iis partibus generat, irritationes, ulcerationes ibi ciet (1): immò forsàn sympathico consensu cum interiori thoracis parte producuntur novæ affectiones; undè ardor insignis circa tonsillas & organa deglutitionis, undè sæpè aphtæ diurnæ, & molestæ toto ore dispersæ, &c.

Demùm funesta præfagia subministrant testantibus omnibus observatoribus anhelitûs fœtor, & difficultas maxima, dolor pectoris, & papillarum pungens, & inter tussendum exacerbatus, summa anxietas, extenuatio corporis, exceptis cruribus, quæ observante *Hippocrate* (2), tument sicut & pedes, summa debilitas, pilorum defluvium, unguësque curvati pallidiores, tandem facies *hippocratica* dicta, seu ipsa mortis imago, videlicet facies lurida ac mortua, oculi subridentes, nares acutæ, genæ depressiores, collapsa tempora, corpusque sceletò finitimum.

(1) Morton, *op. med.*

(2) *De int. affectib.*

Quid doceat sectio cadaverum Phthisi denatorum?

Magna occurrit varietas Auctorum circa extispicia cadaverum hominum, qui Phthisi decubuerunt, & illud quidem minimè mirum videbitur, si attendatur ad varietatem circumstantiarum, quæ jam fuere indigitatæ: undè non in omni casu putandum est esse tubercula, vel ulcus: testatur *Haënius* (1), se vidisse memorabilem casum in quo post sputa purulenta copiosissima, pulmo illæsus, & integer inventus fuit; itaut nullum occurrerit vel puris vel vomicæ vestigium. Similia facta passim occurrunt apud Auctores, imò profitetur *Illust. Bennet*, multos marcore ferè confectos se vidisse, qui fluxione periodicâ sputa salina per biennium aut triennium effudere, quibus tamen pulmonis erosio non accessit.

In aliis casibus pulmonis parenchyma, ita dissolutum deprehendit laudatus Auctor, ut in putrilaginem, limi quamdam speciem præ se ferentem redactum videretur; aliorum pulmones lustrando reperit lobos frustulatim laceratos, & quasi forice demorsos. Cæterum ut plurimum occurrunt tubercula vel ulcera.

Missâ Auctorum vana loquacitate circa formationem, & naturam tuberculorum, Auctorem hunc audiamus, qui parcè loquitur; cautè arcana natura rimatur, verumque sagaci quodam instinctu, quantum licet ex cadaverum sectione inquirere novit: *Morgagnum* dico, qui quamquam præ metu contagii cadavera Phthysicorum non multum frequenter lustraverit, attamen sive ex suâ, sive ex aliorum experienciâ, imprimisque sepulchretum *Bonneti* adeundo rem satis dilucidè exhibet, ut palàm fiat, quid sit verum, quidvè probabiliter compertum.

Testatur autem *Morgagni* tum ex se, tum ex aliorum observatis eos quos pueros aut juvenes strumæ vexaverant

(1) *Rat. med.* p. 1. cap. 6.

esse Phthisi obnoxios, & apertis cadaveribus pulmones reperiri tuberculis obritos non secus ac alias partes. Simul constat hos tumores in eodem etiam corpore ex diversâ materiâ componi. Modò enim continent materiam albam, aut griseam pultaceam & quidem variæ consistentiæ: in nonnullis continetur materia, ac si calx aquæ mixta foret, quæ digitis nullam exhibet asperitatem: in aliis reperitur materia calcaria aspera tactu; sed ut plurimum occurrunt casus similes ei, quem adducit Clar. *Morton* (1), in quodam enim Phthifici cadavere invenit pulmonum quædam tubercula conversa in apostemata, alia inflammata, alia denique cruda, & immatura reperta sunt. Cæterum non in strumosis tantum, sed passim in cunctis Phthificorum cadaveribus occurrunt sæpè tubercula, & videre est in sepulchreto *Boneti* (2).

Sed nùm ea tubercula veræ sunt glandulæ illæ, quas *Anatomici* vocant bronchiales? Nùm ut putat *Silvius*, illa tubercula existunt primitus in pulmone, & accedente morbo evolvuntur, non secus ac vasa sclerotica per ophtalmiam fiunt sensibus obvia? Nùm sunt concretiones humorum in textu cellulari? Assentitur *Mortono Morgagnius*, quandò ille contendit tubercula esse glandulas de conglobatarum genere; negat verò eas, asperæ arteriæ succum infundere: imò vult eas ab omni cum asperâ arteriâ commercio esse remotas; quod quidem ultimum demonstravit in sectione cadaveris (3). Cæterum non diffitetur posse fieri, ut bronchiales glandulæ erosione aliquâ factâ communicent interdum cum bronchiis præternaturam; sed in medium relinquit, an istæ eædem sint, quæ in Phthificorum pulmonibus tubercula faciunt.

Non autem putandum est Phthificos semper interire à

(1) *Phthisiol.* p. 42.

(2) *Add. ad sect. 7. lib. 2.*

(3) *De Morb. thor. Ep. xxii. num. 21.*

tuberculis in apostemata abeuntibus, absummentibusque totam pulmonum substantiam, aliquando enim in cadaveribus nihil occurrit præter protuberantias pulmonum duras & renitentes: sic *Swietenius* (1) refert, in cadavere cujusdam Phthiſici *Militis* pulmones manibus pertractatos viſos fuiſſe, ac ſi craſſiori ſabulo fuiſſent repleti: diſſectis autem eorum lobis detegebatur magnus numerus tuberculorum durorum, quæ piſum mole adæquabant, & continebant materiam gypſeam. in alio reperit tubercula undique pulmonibus diſſeminata ad inſtar ſeminum lini; unde concludit prædictus Auctor, poſſe contingere pulmones numerosis adeò tuberculis obſideri, ut tota ejus actio impediatur, contabefcantque ægri, antequam deveniant ad ſuppurationem.

Quandò autem abſcedunt tubercula, enaſciturque ulcus, materia purulenta occurrit modò majori, modò minori quantitate, ut ex *Watero*, & *Heiſtero* refert *Morgagnius*: pus non rarò ea copia fuit, ut pulmones repletet & infarciret; contra in quibuſdam vix puris veſtigium, imò in quamplurimis à quodam Chirurgo diſſectis, ut patet in ſepulch. *Bonneti* (2), nihil fuit repertum in ulcere: iſtud ultimum fit forſan ob eandem cauſam ob quam ulcera etiam externa in moribundis exſiccantur. Ubi verò purulentâ colluvie ingurgitantur pulmones & bronchia, illa materies varias habet qualitates: alia enim eſt alba, alia ſubviridis, alia deniquè inſtar fæcum cereviſiæ apparet; ſuſcam vidit *Hoffmanus*, atramento ſimilem *Hallerus*; in quibuſdam ſanguis cum pure & ſanie commixtus effunditur in cavitatem thoracis; in aliis Phthiſis cum hydrotorace complicatur.

Cæterum varietates adhuc occurrunt in magnitudine, numero, ſitu ulcerum, aut tuberculorum, ut videre eſt apud *Morgagnium* loco citato: in juvene pars pulmonum concava pure erat fæta, convexa autem ferme tota tophacea, in viro pulmo dexter pus fluidum, ſiniſter materiam quamdam

(1) *Comm. in Aph. Boerh. tom. iv. p. 54.*

(2) *Seç. 7. obſ. 77.*

induratum habebat : in quibusdam pulmones reperti sunt pleni schirris cartilagineis , aut steatomatibus duris oblitati , in aliis referti exiguis purulentis abscessibus , aut vomica unicâ , aut vomicis deturpati ; fuerunt aliàs inventi simul callosi & compacti , simul vomicis passim obsessi ; itemque penitus obstructi & ulcerati , aut steatomatibus innumeris , & hic illic vomicis infarcti.

Animadversa quædam œconomiae animalis Phthiseos medelæ præmittenda.

Naturam devictam , frustraneos , salubres ejus conatus , stragis à Phthisi productæ veram imaginem exhibet cada-verum sectio ; sed ut apta adhibeatur medela , quam multa adhuc desiderarentur ! quam multi referret ut Medicus , certis & minimè æquivocis signis œconomiae animalis leges compertas haberet , cognosceretque pulmonis in vitam influxum & dominium , sympathicas affectiones , quas aliis visceribus communicat , reactiones , quas vicissim in illum exercere possunt ea viscera , complicationes , quæ exoriuntur istis labefactis , Phthisæos grassantis definitas periodos tempus medicationi aptum , sive intra dies quibus cursum absolvit Phthisis , sive intra diversas diei horas : tempus , quo natura sibimetipsæ est permittenda , aut saltem parùm sollicitanda , veram certòque compertam methodum medendi juxta varias individui constitutionis , morbique naturæ circumstantias , &c. Verum quamquam ab hoc perfecto cognitionum systemate adhucdùm longè distet Ars Medica : quamquam ut verbis *Benneti* (1) utar , naturæ polydædalæ molimina penitiora depingere sit perdifficile , in eo tamen studium sedulo collocandum ,cujus vestigia non incassum præmunt artifices sensu ducti , ortum & causas cujuslibet ejus motûs per recognitionem ediscentes.

Non opus est statim generaliora quædam principia huc

(1) *Exercit. Dian. p. 41.*

adducere circa morbos chronicos : de iis consulendus *Illust. Bordeu* (1) cujus quidem scripta ita redolent ingenium artis, ut laudibus ea extollere supervacaneum foret : notabo tantum post illum Auctorem Phthisim, ut alios morbos suum peragere cursum, revolutionem absolvere in tempore determinato ; sed variabili pro variis individuis, eam habere suos paroxismos, suas remissiones, quas immutare frustra quis conaretur ; unde observantur, 1^o. Quædam mutatio corporis, quæ imminentem jamjamque paratum morbum arguit. 2^o. Phænomena quæ ipsius præsentiam vel formationem ostendunt. 3^o. Conatus cæterorum organorum combinatus, quo terminatur morbus, sive sanitas restituitur, aut morbus in alium transmutetur, sive morbi vi superetur salutaris ille conatus, & extinguatur cum vitâ ægrotantis.

Naturæ autem illa activitas ad propulsandos pravorum humorum defluxus, à pulmonibus plurimis evincitur observatis, quamquam non semper res prosperè cedat : sanguinem menstruum in pectus effusum, & illud gravantem, per os depulsum testantur Observatores : tuberculum nucis juglandis magnitudinem adæquans, tibiæ infidens levamen phthisico attulit, & sanitatem per tres menses ; postea rediere Phthiseos symptomata, & æger expiravit : periodicam narium hæmorrhagiam moderatam tutamentum contra Phthisim habet *Illust. Bennet*, & quidem phlebotomiâ quâcumque efficacius : observavit talem hæmorrhagiam servasse quemdam immunem à Phthisi : suppressâ illâ evacuatione redibant symptomata Phthiseos ; denuò accedente, pectus liberatum est, & sanitas rediit integra : pforæ fætidissimæ materia in pectore congesta, & sputis eliminata visa fuit : quàmplurimi gravati frequentia, & difficultate spirandi superveniente ptialismo liberati sunt : Phthisicum quemdam infestabat dolor dentium admodum truculentus per biduum,

(1) Recherches sur les mal. chron.

quo intervallo præter maciem oblitterata videbantur Phthiseos symptomata : bis luis venereæ virus in thoracis capacitatem refluxum animadvertit *Bennet*, conquiescente symptomatum luis venereæ catervâ : immaniter verò sæviente Phthisi : hæc & similia, quæ passim apud Observatores occurrunt, phœnomena testantur : quantum ex legibus œconomix animalis oriuntur variæ humorum tendentiæ, quibus invigilare perpetuò debet Medicus, ut opportunam agendi occasionem arripiat.

Optimè autem distinguere debet salutare naturæ vergentias, ut eas valeat promovere : in primâ morbi phasi si sudor partialis circa pectus inter dormiendum oboriatur, reiteratis vicibus in totum proliciatur corpus : sudores matutini in illo stadio, lente & pro euphoriâ protecti maximè utiles sunt, si per longum tempus repetantur : quorum cutis pruritu & impetigine afficitur, illis profunt sudores quemadmodum si salinam materiam redoleat humor per cutis colatoria excretus, Phthisi autem inveteratâ detentis, sudorifica neutiquàm imperanda.

Quoad expectorantia, non ea exhibeat in primâ symptomatum phasi, nec in illis diei horis, quæ dicuntur diacriticæ, naturæque laborem portendunt : ut expectorationi ritè consulatur, partes extremæ potissimum pedes muniantur : notus est enim sympathicus consensus extremitatum illarum cum pectore : deterfivis expectorantibus eò usque incumbat Medicus, donec sputum debitum calorem, & consistentiam (si fieri posset) acquisiverit interpositis aliquoties minorativis, aut multoties sudoribus : primis autem valetudinis signis allucentibus non confidat Medicus, tutissimum enim est diù perstitisse ob recidivæ metum.

Non minori cautelâ utendum est in exhibendis minorativis, ut videbitur postea : sedulaque distinctione opus est relativè ad exercitia corporis, quæ quidem levia esse debent in primâ symptomatum accessione, & ægrotantibus calidioris, ut aiunt temperaturæ : cæterum in pectoralium lubrico tenore, frigidâque crasi motus concitatiores partium supe-

riorum aliquandò imperandi: demùm in his sicuti, & in aliis subsidiis sedulò observet Medicus varia elementa, quibus stipatur morbus: modò enim unum obtinebit dominium, modò alterum: sic modò sæviet calor urens aëris, febris intensa, modò vigebit status oppositus: undè monente Ampl. Cancellario *Barthez*, admodum varianda est medicatio pro rei circumstantiis, & prout hæc vel illa symptomata sunt urgentiora.

Quibusnam subsidiis Phthiseos nativæ dispositioni occurrendum?

Cùm admodum diversa possit esse, tum morbi, tum ægri ratio, satis liquet, quod statui non possint normæ generales, quibus subjiciantur omnes Phthifici: sed ex perspectâ cujusque ægrotantis crasi, mali causâ, partisque quoad tonum immutatione res censenda venit: non autem ex multiplici medicaminum farragine, sed ex ritè combinatis regulis diæteticis, aliquid faustè imprimis est sperandum; quæ autem ibi afferuntur dicta, velim pro cæteris morbi periodis.

1^o. Cautela servanda relativè ad aërem sumi debent, ut jam dixi, ex ægri constitutione: sic pulmoni aridiori donatus, temperieque, ut vulgò dicunt, sicca, haurire debet aërem humidior, crassior, valles, loca depressa, aquis obfita incolere, solum lutosum paludosum seligere: si autem præ se ferat signa temperamenti admodum oppositi: si conicere liceat ipsius pulmonem esse flaccidum inteneratum defluxionibus serolis obnoxium, ipsi conveniunt apprimè aër tenuior, siccior, solum arenosum, aut cretaceum: eligere debet loca montana ventis ut plurimum perflata. Quod si nec ad hunc, nec ad illum flatum revocari possit æger mediumque quasi obtineat, loca mediæ temperaturæ sunt seligenda, extrema verò fugienda.

Quod si locum mutare circumstantiæ non sinant, arte suppleantur itinerationes: halitibus, & suffitibus in cubiculo, aut aromaticis, & flagrantibus, aut tantummodò



in odoris , perspecta constitutione individui consulatur sanitati tuendæ.

2^o. Impossibile est pariter accommodare in genere cibos , & potulenta : quippè innumeras varietates advehere debent , peculiaris virium degestricium status , ægri consuetudo , annorum dierum , regionum constitutiones ; in genere tamen concedatur regimen ventriculi cujuslibet tono accommodatum , sed naturæ , ut ità dicam , diversæ prout tali , vel tali vitio laborat individuum : sic quibusdam competunt cibi aquei , aliis verò ficciores sunt imperandi , ut patet : sed sacra sit lex , lautiores epulas , commestationes vitare : quippè nimius digestionis labor est pertimescendus : aliundè non rarè occurrunt observationes hominum , qui subitò in Phthisim inciderunt post liberaliorem ciborum , & potuum spirituosorum in conviviis ingestionem.

3^o. Suis confiniis somnum coërcuisse in morbis quàm plurimis potissimùm spirabilia occupantibus convenit , ut notat *Bennet* : quippè ex somno diuturniore habitus corporis aliquatenus evadit flaccidus , cutis humescit , dùm tamen ut testatur *Gorter* (1) non adeò ubere manat perspiratio ut voluit *Sanctorius* : licet enim , inquit , corpus ad sensum levius videatur post somnum reverà gravius est ad stateram , quàm post æquale tempus vigiliæ : satis autem patet , quòd ad Phthiseos dispositi imprimis debeant prospicere libero perspirationis cursui : non necessum est monere vitandas esse vigilias protractas , quippè cum vel sanissimus homo ab iis lædatur à fortiori ille , cujus labilis est sanitas : relativè ad somnum arte inductum suadet *Bennet* , ut rarè hypnotica cardiacis permixta exhibeantur , somnusque soporofus , ut pestis fugiatur : regula autem somni naturalis non debet esse eadem pro omnibus : sed sit brevior in quibusdam frigidioris temperaturæ individuis ; longior in aliis.

(1) *Exerc. Med. de vigil. & somno.*

4°. Ut cumque cautus sim, & timidus in condendis normis generalibus, attamen relativè ad *Veneris* usum dicam eum vix exerceri debere. Equidem haud me latet quosdam homines eâ energiâ in genitalibus pollere, ut detrimentum capiant actus veneri abstinentiâ; sed attendendum est in Phthisim pronis illud vix contingere: è contrâ in commotione illâ vividâ, in summâ illâ revolutione quam parit ille actus, quomodo qui laborant vitio quodam interno pulmonum non aliquam paterentur læsionem per iterationem illius actus, etiam non attendendò ad feminis dispendium.

5°. Varia variis exercitia corporis commendanda sunt, ut dixi superius: ingenere autem hîc applicanda venit regula, quam etiam pro ægrotis præscribebat *Hippocrates*: volebat quippè, ut perficerentur ambulationes & itinerationes; ea lege ut initio viginti stadia emetirentur ægri cursu continuo: quolibet die quinque nova adjiciebantur donec longius iter adæquaret circiter 150; peragebantur illæ exercitationes diversis diei horis scilicet mane, deindè aliquot horis à prandio, & post cœnam, quippè summus ille observator callidè noverat tempora, tùm in quibus organa digestionis debent acui, stimulari ad recipienda alimenta, tùm & in quibus, iis opitulandum est lenibus motibus, ut digestio peragatur.

Vellem pariter quod interditi extremitates superiores exercerentur leni quodam motu, & ad diuturniorem, & validiorem per gradus ascendendo: quippè hoc modo non parùm firmanentur, roborantur organa thorachica sicuti & regionis epigastricæ viscera: huic scopo imprimis respondere videtur agricultura in horto, aut quopiam loco oportuno: namquè terræ subversione nova forsàn exorietur utilitas: nempè aëris recens è terrâ extricati simulquè particulis vegetantium fæti inspiratio.

Cæterum quoad navigationem, equitationem notum est quantum celebrentur à Medicis: undè non opus est nova de his memorare; relativè ad migrationes & peregrinationes;

fatis ipsa loquitur in earum gratiam observatio Anglorum, qui in Gallico solo pluries à Phthisi curantur.

6°. Cum ad Phthisin decliviores vulgò pròni sint ad affectus animi tristes, multi interest dare operam quocumque modo ut discutiatur mæror, & mens exhilaretur: proderunt ergò quàm maximè facetorum hominum colloquium, spectacula quævis jucunda, fermocinationes de rebus variis, & delectantibus: demulcendus est animus frequenter per musicam: divinam illam artem, quæ tantum valet præstare in anima humana: uno verbo ità dividendæ sunt, si fieri posset, diei horæ ut quæ liberæ manent tum ab exercitiis, tum epulis; in deliciis, aut saltem grato animi statu absumantur: sed in hoc ut in cæteris videndum, quæ maximè ægro juvant, *trahit enim sua quemquè voluptas*.

7°. In excretis & retentis non parum naturæ, & consuetudini tribuendum: relativè autem ad humores, qui deponi possunt in pulmonibus, seu per catharrum, sive aliâ de causâ maturè ea rejici debent, ità tamen ut si concoctioni eorum prospiciat natura, veneremur ipsius conatum, & ad expellendum non nimium proritemus, donec ad seclusionem ipsâ suâ sponte feratur juxta superiùs animadversa de œconomia animalis legibus.

Præter has & similes cautelas, quibus Phthisis imminens averti potest, sunt & aliæ ex peculiaribus ægri circumstantiis repetendæ, quasque faciliè investigat verus observator; sic fonticuli, setacei summa sunt præsidia in humorum coluvie ferosâ, in distillationibus à capite: sic egregii usus esse possunt sternutatoria: notum est enim, quàm faustum eventum præfagiebat *Boerhavius*, dùm naris emunctoria obsequiosa haberet: si à parentibus hæreditario quasi jure cedat morbus, *hæmoptisis* arceri debet tempestivis venæsectionibus, aliisve similibus mediis, in illâ vitæ periodo, in quâ Phthisis obvenire solet. Hujus rei exempla suppeditat *Swietenius* ex *Boerhavia*: aliquandò, ut notatum fuit suprâ, natura prospicit ægri salutis periodicâ, & moderata narium *hæmorrhagia*.

Demùm catharrofa tuffis, quæ in plurimis abfque damno toties negligi folet in difpofitis ad Phthifim, omni curâ fopiri debet citò, utpotè quia à tuffi metus eft hæmophthifis: aliundè fedulò aufcultandum vicibus tempeftatum, veris & autumnii adventitui, cautioque major eft adhibenda iis temporibus ne propter revolutionem quamdam, quam experitur œconomia individui, eveniat lætio ex iis rebus, quæ innoxix prorsùs effent in aliis temporibus.

Quæ medendi ratio obfervanda in Phthifi declaratâ.

Tuffis qualis defcripta fuit fuperiùs, inapetentia, vomitio poft cibos ingeftos, febris, marafmus, affectus animi triftes &c. Affignata funt veluti folita phœnomena Phthifim præfentem arguentia: verùm fatis patet quot differentix debeant occurrere in variis individuis relativè ad constitutionem ægri, regionis, tempeftatis, genium morbi, quamque infufum effet therapeiam generalem pro omnibus ftatuere: quippè modò unum, modò alterum fymptoma acerbius graffatur, quo præfertim impugnato morbus mitior evadit & faciliori operâ domatur. Sagacem igitur obfervatorem fupponimus, qui adjunctis circumftantiis accommodare fe novit, detorquetvè ad cafus particulares, fi quid nimis generaliter emittere nos contingat, 1^o. Sanguis è venâ brachii mittatur, fi æger fuerit pletoricus, fi Phthifis fe habeat ad fpeciem catharri fuffocantis, fi fœviat febris, fi fit dolor lateralis, fi fint figna rheumatici, vel pleuritici doloris, &c. illa autem venæ-fectio bis terve aut debitis intervallis repetenda venit, prout illam exigent circumftantiæ.

Extracto fanguine, *Morton* (1) commendat vomitorium mite ex melle, vel oximellite fcillitico: atque hoc modo

(2) *Phthifiol.*

testatur se præpeditivisse sæpissimè Phthiseos *incipientis* progressum : patet autem quod emeticum imprimis conducatur, quandò febris, calor non admodum vigent, danturque signa temperiei, ut dicunt, phlegmaticæ : admodum etià expedit post singula vomitoria opiatum aliquod præscribere non solum ad sedandam agitationem, verùm etià ad inhibendum novum fluxum feri catharrofi in pulmones ab hac vehementi partium successione suboriri solitum.

Notum est quod dùm Phthisis in mortem tendit, adveniat ut plurimum alvi fluxus foetens, largus, colliquativus : unde metuere videntur Medici alvum in Phthisi purgantibus sollicitare : equidem in ultimo morbi stadio nemo prudens hæc tentabit : verùm incipienti morbo, nondùm fractis ægri viribus nondùm ex succo penitus corpore hæc tentata fuere non sine successu, ut asserit *Swietenius* : profert autem *Bennet*, egregias animadversiones circumstantiarum, in quibus conveniunt *cathartica* : juxtà ipsum, tempus minorativo aptum est in accessu morbi, horâque decubitûs prætermisâ coenâ, itaùt alvus manè subsequenti bis, aut ter respondeat : unde nulla, vel saltèm minima virium jactura : hujusce generis præsidia magis prodesse expertus est, si ægri horis anteluca- nis, & quasi inter somnum fœces alvinas deposuerint : crebrò neutiquàm iteranda sunt, nisi mucosa viscositas, aut aqua saluginea copiosè se excrementis immiscens aliud suaserit.

Pariter qui carnes obtinuerint induratiores, porosque occlusiores, cum facillè subeant catharsim, iis non rarò proderunt purgantia ; in vietis autem, & quibus nec saburra pituitosa, aut illuvies serosa prodierint, nequaquam est molienda purgatio : quoad anni tempestates valet illa regula usu recepta ; cathartica scilicèt magis convenire ineunte vere per hiemem & autumnum, ut-potè quod minùs referatis poris cutaneis faciliùs ad tubam intestinalem propellantur humores.

Quoad alias evacuationes per sudores, per expectorationem, per fonticulos præ oculis habeantur normæ ab eximio observatore *Bennet* sancitæ, quasque hîc subjicere supervaca-

neum foret : sufficit exemplo purgantium , præstantiam animadversionum Auctoris indicasse.

Omnia symptomata hujus stadii indigitant laborem naturæ suam salutem aliquandò molientis , aliquandò in perniciem tendentis : in isto casu deviantem dirigere , studere debet Medicus : in illo , vehementiores motus compescere , debiliores refocillare : sed ut ritè procedat ipsius agendi ratio distinctione opus est.

1^o. Si Phthisis ortum ducat à metastasi evidenti humoris serosi , mucosi , vel etià purulenti , succedatve suppressioni fluoris albi , exsiccationi ulcerum inveteratorum , catharro è capite ad nares instillante , vomicæ aut sputis colliquativis post inflammationem thoracis , &c. Lenia bechica , demulcentia , ut lacticia , emulsiones adhibitæ ad Phthisim sedandam essent noxiæ , vires digestrices nimium debilitando , fluxionemque promovendo ; è contrà verò subveniendum est morbo evacuantibus , & revulsivis ut emetico , fonticulis vesicatoriis , &c. *Huxamius* in hoc casu usurpavit vesicatoria inter scapulas , minorativa identidem repetita , diaphoretica mitia , quibus interdum addebat demulcentia , levia anodina , quæquidem praxis celebranda est ; narcotica enim aliquatenus frænant humorum fluxum , per illorum actionem sedantem in systema nerveum ; vesicatoria humores attrahunt à partibus gravatis ; diaphoretica verò eos expellunt foràs , qui jam apti sunt ad eliminationem.

In allato casu præcipuè commendantur equitatio , aliave corporis exercitia , habitatio loci excelsi ventis perflati , aër ficcus ; non parùm proderunt pariter halitus desiccativi aromatici ut ex succino : refert *Bennet* exemplum *Mercatoris* cujusdam qui sospes evasit præsertim halituum , & suffituum methodica miscela. Emplastrum balzamicum , vel etiam ex sapone thoraci admotum valdè utile est , ut expertus est *Ampliss. Cancell. Barthez* : item testatur se sanitati restituisse mulierem quamdam à Phthisi productâ per serosam capitis colluviem ad pulmones appulsam : sequenti autem modo se gessit : quolibet vespere præscribebat sirupum diacodii : cras mane exhibebatur gargarismus incisivus ,

ut promoveretur excretio materierum per noctem ingestorum : usa fuit ægra haustu quodam ex infuso frigido 20 gr. rhei, 6 unc. aquæ calcis admiscendo 8 unc. lactis : iussa est ut usum tabaci contraheret, appertus est in brachio fonticulus, &c.

2^o. In Phthisi hæreditaria, in iis, quorum systema nervum est valdè irritabile, alio se sub conspectu prodit morbus, alia methodus proindè est impugnanda: si, ut fit in illo casu calor adurens, cutis sicca, fitis magna, anxietates summæ sint affectus vehementiores, satis liquet dari locum regimini ferè antiphlogistico: in hoc potissimum casu proderunt avenacea, hordeata, aliaque farinosa saccharo condita: commendandi pariter veniunt fructus horræi ut cerasi, fragæ, racemi: *Musel* refert se plures milites sanitati restituisse ope illorum fructuum: extant observationes curationum, quæ factæ fuerunt largo usu melonum: ampl. Cancell. jàm laudatus curavit Phthises, serafis, & balneis frigidis: in hoc stadio summum pariter remedium est equitatio, ut constat ex testimonio *Sydenhami*: peregrinatio, navigatio, migratio ad loca depressiora, & in quibus adest solum opimum, aër crassus, in genere ut maximæ utilitatis commendandæ veniunt.

Potus soliti, præsertim si adsint siccitas in faucibus, & vocis raucedo desumi debent ex infusis, capilli veneris, tussilaginis, scabiosæ &c. addendo tertiam lactis partem; lactinia quidem æstuante febre non probat *Raulin* (1) tamquam obstructions parientia, acescentia in primis viis &c. missis iis, & similibus ratiociniis, quæ promiscuè agerit, dicam, quod in præsentī casu servatis servandis circā qualitates lactis, tempus ingerendi, miscellam cum idoneis remediis lac ut plurimum competat, ut potè vi quādam tonicā donatum, & virtute demulcente: ex indè enim tussis potentiùs, & efficacius sedatur, quàm per opiata

(1) *Observ. de Med.*

imprimis dùm combinatur cùm cremoribus hordei, & orizæ, dùm hauritur quando adhuc præditum est calore naturali, ut quando exsuguntur mulieris ubera, dùm juxta circumstantias cum variis aquis mineralibus admiscetur: cæterum quia sunt individua peculiariora, quibus nedum prodesse imò nocere potest lac, ea sit lex, ut interdicator si post varia tentamina, non melius vel etiam pejor cedant ægri res & non leventur symptomata: variis indicationibus pariter respondere potest medicus, si animalia, è quibus lac educitur nutrantur variis plantis, si illud ferat anni tempestas: demum huc loci non prætereundum est aliud remedium summè commendatum, succum dico limoniorum, non in aquâ, sed in fero lactis dilutum: qui haustus pro vigente siti est iterandus.

3^o. Si Phthificus corporis habitu donetur, ut aiunt, phlegmatico, si febris sit admodum mitis aut ferè nulla, & sputum velut phlegma quandantenus glutinosum: demum alia symptomata redoleant illam inertiam, & ut ita dicam, torporem virium vitalium absque manifesta, & quasi subitâ metastasi humorum, ut in primo casu, si sit veluti quædam labes scorbutica, aut scrophulosa, evidens est, quod alio modo se gerere debeat Medicus ac in casibus precedentibus, & non inhærere tritæ, & uniformi alias Phthifes curandi methodo: illis frigidioris temperaturæ Phthificis sudores multoties præcipiendos esse censet *Bennet*, studendumque emeticis, identidem repetitis ut pectus, tracheæ lenibus commotionibus liberentur à viscosis humoribus: medicamina calidiora, stimulantia; balzama in hoc casu optimè competunt. Proindeque multum juvant suffitus & halitus ex plantis pectoralibus, quibus addi possunt oleum essentielle, spiritus rector variorum aromatum: undè in Italiâ aëre campestri uti monent Medici, imprimisque incolere loca montana, & obsita pinis propter exhalationes naturæ *therebentinae*, in hoc casu autem si uspiam, usurpanda veniunt sulphurata, fumus è saccharo liquefacto, cujusquidem ultimi egregios effectus expertus est in tussi pertinaci *Illust. Sthal.* Non minùs celebrandus venit aptus, ritèque cum pectoralibus combinatus corticis

peruviani usus, qui cortex agere potest, tùm virtute tonica; tùm & anticeptica, ac proindè organa ad naturalem tonum evehere: quod si aut scorbuti aut scrophularum dantur signa haud æquivoca, ad remedia his morbis accommodata se convertendum; sed de his non ibi est differendi locus: demùm ut monet Auctor jàm citatus, exercitia corporis torpore spiritalium correptis convenientissima.

Nonnè ità ultima species ea est; quam describit naturæ Genius (1) *Hippocrates*, cujusque periodum observavit durare novem annos, dum secunda species recensita coincidit cum illâ, quam monet per tres annos durare, & prima cum illâ quam asserit protrahi per unum annum? Ut ut sit, Medicinæ parentis animadversio monet nos, statuta stadia percurrere morbos chronicos, eaque inquirere debere sedulum observatorem juxtà præcepta *Illust. de Bordeu* in opere, quod suprà memoravi.

De Phthiseos in ultimo stadio medelâ.

Ex superiùs monitis post cadaverum inspectionem non semper ad ulcerationem usque progreditur morbus: sed modò absumuntur ægri serosâ quasi colluvie ad pulmones appellente, integrò nihilominus manente illo viscere, aliquoties etiam illo viscere penitus obducto tuberculis crudis, aut etiam gypseæ, aut steatomatosæ materiæ infarctis, undè tunc perstant adusque ultimum diem symptomata stadio secundo adscripta: ibi autem agitur de illâ periodo, in qua se prodit nova morbi phasis, deficientibus, scilicet, omnibus visceribus, evacuationibus colliquativis, sputis purulentis emaciatione, febre lentâ, dispnæâ, tussi molestiori; uno verbo symptomatibus ità asperatis ut ruinam minetur œconomia animalis; iste autem status cuilibet Phthiseos speciei adveniens, pro naturâ febris grassantis,

(1) *De int. affect.*

aut aliorum signorum plus minusve mali ominis, quasdam habet differentias ut videre est apud observatores : non magna autem spes ponenda in iis medicaminibus, quæ intus ingeruntur, ut potè quod labefactentur primæ viæ, proindequè non sint pares accipiendæ salutari impressioni, aut saltem vix valeant eam actionem transmittere aliis organis : undè tunc præsertim confugiendum ad ea subsidia, quæ per observata comperta sunt exerere quemdam effectum generalem in toto corporis habitu.

Non tamen omnino negligenda esse illa auxilia velim : multa quippè apud Auctores extolluntur etiam in desperatis casibus : reperire est in tractatu, quem edidit *Buchos* (1) opiatum quoddam bechicum, cujus ope Ill. *Marquet* plures phthilicos etiam desperatos sanitati se restituisse testatur, ut notum est ex 28 historiis peculiaribus, quas subjungit. *Avicenna* multum commendat usum copiosum sacchari rosarum, & trochiscos de camphora, quæ quidem ut antiseptica, & tonica competere possunt : notum est pariter *Mortonum* multum commendasse corticem peruvianum : cujus quidem efficaciam pariter expertus est *Svvietenius* : in aliis casibus fructus horæi, cerasa fraga hortensia, cerevisia, lac, serum lactis acidulum maximæ efficacix fuisse proditum est : in quibusdam variæ aquæ minerales Aquitaniæ proficuæ evasere, in aliis mortem acceleravere juxta *Cel. Bordeu* : sed hæ, & similes observationes non multum suppeditant luminis, utpote quod non simus edocti peculiare circumstantias constitutionis ægrorum, intensitatis, genii morbi.

Non denuò commendabo equitationem, navigationem, aliave exercitia, ut pote quod præ debilitate rarò ea sustinere possint ægrotantes : migratio ad loca campestria, si fieri possit potius imperanda, quia præbet inspirandum aërem salubrem, variisque vegetantium particulis fœtum :

(1) *Traité de la Phthisie pulmonaire.*

sed etiam, ut notum est experientiâ, propius admo-
vendum est corpus humanum halitui terrestri per balnea dicta
terrea : *Franciscus Solano* testatur se hujusmodi balneo terræ
feliciter usum fuisse in curandâ Phthisi terræ ter adhi-
bito : quænam sit horum balneorum methodus, vide *Svvie-*
tenium (1) multum prædicantur pariter, halitus & suf-
fitus arte parati : quæ methodus etiam in Poloniâ felici
admodum successu nuper fuit adhibita, si fides *Clar. Mar-*
figli regis Poloniæ Archiatro (2), asserit enim *Bennet*, quod
ii sint præsidia nobiliora, & quibus unice in extremis an-
gustiis fidamus, quæ tamen nisi habeatur ratio circumf-
tantiarum vel obsunt, vel incassum adhibentur : undè varias
debent habere qualitates prout pulmones sunt aridiores,
eretismo quodam conflictati, aut torpentes ingluvie ferosâ
perfusi : recentius quædam vulgavit *Buchos* (3) relativè
ad suffitus humidos, & vegetantibus particulis refertos :
vide, quæ ibi narrantur, de instrumentis quibus utitur,
de plantis, quas in usum advocat. Non omittendum est
auxilium vel à mulierculis decantatum, immorationem dico
in stabulo *Vaccarum* ; qui Phthistici indigent inspiratione
aëris crassi & humidi, levamen certe indè percipient : sed
per calores æstivos in pulmonum labe putridâ, vel immi-
nente colliquatione ; an illa immoratio sit remedium inno-
xium aut conducibile dubitare licet, donec rem palam fa-
ciant plura numero observata.

Quæ præsidia in medium posui pro ultimo morbi stadio,
non idèò excludenda esse censui in periodo minùs pro-
vectâ : sed in eo ordine ea disposui, quia sunt veluti
anchora, quæ demum superest, dùm res sunt in angustiis,

(1) *Comm. in aph. tom. iv. p. 89. Vide præsertim apud*
Solano lap. lyd. appoll. & apud Guttieres de Los Rios,
idiom. de la naturaleza.

(2) *Journal des Beaux-Arts par M. Castilhon.*

(3) *Traité de la Pht. pulm.*

dum in aliis casibus multiplici modo se gerere potest Medicus: si autem nequicquam proficit quævis adhibita medela, restat ut levamini symptomatum prospiciat ars medica.

Opium in hunc scopum habetur veluti palmarium remedium, etenim dira symptomata nullo alio medicamine relevari possunt; tussis mitior, respiratio liberior, leviores fiunt dolores durante opii actione: sed non dissimulandum est transitorium esse hujusmodi affectum: anxietates postea recrudescunt: immò observatum fuit ægrotantes, qui ingerunt opiata, consuetudine contractâ, versari supremum que diem obire in angustiis extremis, in anxietatibus vix delineandis: rarò loquuntur, eorum sensus fiunt obtusiores: indè in moderata diarrhæa quandò tormina non multum urgent præcipuè verò si dyspnea adsit opium quâvis forma rarius, & parcius præscribendum; plerumquè enim ab ejus exhibitione pectus gravari solet, respiratio, & expectoratio difficiliore evadunt; accedunt nausæ vomitiones. quando autem diarrhæa in extremas angustias ægrum adducit: quandò simul sæviunt tormina, ad opiata quidem confugiendum, sed tamen cautè, & parcè administranda sunt in statu languido, in quo versatur æger. Aliundè rectius allevabitur tubæ intestinalis affectio, decocto kinæ cum lacte, aut etiam lacte cum theriaca admixto: ex quorum alterutrò administratur enema.

Si ad debilitatem extremam ægrum deducant profusi sudores inter somnum, per breve tempus dormiat æger: cardiacis temperatis refocilletur, stragula lecti minuantur, immò migret æger in aërem subfrigidum; aut aromaticis frictionibus erigatur tonus cutis: vomitiones præcaveantur sumendo in vicem, parvam cibi copiam seligendo Euchimum & ventriculo gratissimum; somnum, & decubitum à pastu vitando: demùm aphtis dolori gutturis & faucium occurrendum est administratione gargarismatum demulcentium mucillaginum, & vitando quantum fieri poterit accessum aëris externi & frigidi, oris occlusionem.



COROLLARIUM.

Ex jam propalatis circa Phthisim spontè se offert quæstio, nuper proposita pro Cathedrâ vacante, in quâ solvendâ operam navavit, cum laude pro temporis angustiiis egregius antagonista *Lameyran*: quærebaturnùm plurimæ Phthises pulmonares confirmatæ, tum quæ producuntur ab ulcere pulmonum, tum quæ ab ipsorum statu ulceroso generalius dicto perfectè sanabiles sint modo curentur juxtâ diversas methodos cuilibet speciei accommodatas.

Porro ex compertis per inspectionem cadaverum patet, quam profundæ strages pulmonibus aliquandò inurantur: ex phœnomenis pariter patet, quot dira phœnomena in consensum pluries trahantur, quantumque periculi impendat in certis periodis: sed ex alia parte militant argumenta; quæ animum erigunt; nempe naturæ inauspicati, & efficaces quondam motus ad avertendum morbum, aut in alium immutandum; observationes certo compertæ curationum, quas assecuti sunt sagaces naturæ indagatores, dum nulla spes superesse videbatur: demùm utcumque sæviant symptomata, quibuscumque signis externis se prodatur morbus, non potest certò judicari de pulmonis labe, & de læsione ipsius textûs cum aliquando post mortem visus fuerit intactus, aliquandò non multùm læsus: undè spem adhuc foveat animo sagax Medicus, modò non adsint proximæ mortis signa indubitata.

Cæterùm opinio eorum qui amant sibi persuadere longè plures Phthises esse curabiles, quàm vulgò censetur, arguit egregium animum, qui ab humanitatis officiis nunquàm deterretur, qui longè latiùs patere Artis Medicæ campum putat, quam credit Medicorum vulgus, qui naturam sæpè votis correspondentem, salubresque conatus molientem deprehendit, qui tandem dum cæteri deficiunt, vixque quidquam agendum superesse putant immensum veluti horisontem oculis ipsius evolvi cernit, novasque prætermittas, & circumstantiis accommodatas subsidiorum rationes suboriri.

F I N I S.





DISPUTATURI.

N. N. D.D. PROFESSORES REGII

N. D. JOANNES FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex
Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. CAROLUS LE ROY, *Pro-Decanus.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENE.


N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER, N. D. LE ROY, *Coadjutor.*

ERRATA.

- P** AG. 5. 2°. lin. 7. *commessationes*, *leg.* *commessationes*.
Pag. 9. lin. 5. *oratur*, *leg.* *oriatur*.
Pag. 17. 1°. lin. 19. *statum*, *leg.* *statum*.
Pag. 21. lin. 5. *autumi adventitui*, *leg.* *autumni adventitui*.
- 

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1200 EAST 58TH STREET

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-4331

1968

1969

1970

1971

1972

1973

1974

1975

1976

1977

1978

1979

1980

1981

1982

1983

1984